QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE MERCVRII XXI. MARTII.

M. ANTHONIO ROBIN Doctore Medico, Moderatore

733

An cibos & humores morbificos coquendi ratio eadem?

RERVM omnium natura multiplex pendet à cauſis; quibus quæ conueniunt, eadem ſunt; ab his elementorum, mixtorum, & affectionum ſimilaribus contingentium, varietas omnis, mutua diſcrimina. quare vt elementorum cauſæ ſunt primæ qualitates, mixtorum ſimilarium elementa, organicorum ſimilaria, proinde elementa ad materiam, ſimilaria ad elementa, organica ad formam propiùs accedunt, ipſíſque elementis & ſimilaribus notiora ſunt: Ita elementa qualitatibus, organica formâ ſubſtantiali, ſimilaria, ſiue ſint partes viuentium vt os, cutis, neruus, cortex, lignum; ſiue inanimata, vt foſſilia & metallica proprijs differunt affectionibus; quæ omnes licet à calore & frigore fiant vt mouentibus, ab humore & ſiccitate vt motis; nihilominùs quædam ad humorem & ſiccitatem referri debent, quia in materia ſuam habent ὕσίαν, vt mollities, durities, concretio, liquatio, craſſities, tinctura, flexus, tractus, ductus, fragilitas, ruptio, ſciſſio, friabilitas, impreſſio, formatio, compreſſio, vſtio, ſuffitus; quædam ad calorem & frigus vt coctio, cruditas, huiúſq; ſpecies μόλυνσις, σάπευσις. Ex his affectionibus ſimilarium temperamenta colliguntur; etenim concreta frigore, calore liquabilia aquea ſunt; contrà terrarum genera, ſales, nitrum, alumen, calcanthum, terrea, ſcilicet calore concreſcunt, humore liquantur eóque aqueo calido, frigido, nil refert. vt pingui ſulphur, bitumen, auripigmentum. Illiquabilia ſiue à ſummo calore vt molæ; ſiue à frigore exprimente vt ſuccinum; ſiue ab ambobus concreuerint; vt oſſa, fictilia, cornu, terræ & aquæ communia, ſiue etiam craſſeſcant vt liquida; ſiue non vt mollia: quæ à frigido concreſcunt, nec ab eo craſſeſcunt aquea: quæ à neutro concreſcunt, ſed ab ambobus craſſeſcunt aërea; cruda omnia frigida, cocta craſſiora & calidiora, quia à calore perfecta.

EST enim coctio perfectio à naturali & proprio calore ex humido & ſicco ἀντικειμένοις παθητικοῖς; ſic perfectè definita coctio genus eſt, tribus diſtinctum ſpeciebus; maturatione καρπῦ & περικαρπίυ propriâ, elixatione, aſſatione, ad quam frixio pertinet. harum quælibet in naturalem & artefactam diſtincta, eiuſdem eſt ſpeciei, ac propriè coctio dici debet, ſiue naturæ opus fuerit, ſiue artis: maturationis exemplum ſunt. Naturalis quidem ſemen in teſtibus coctum, fructus maturè collecti; Artificialis ipſimet arte adhibitâ matureſcentes; etiam ouorum excubatio in fimetis apud Ægyptios ſolita: Elixationis & aſſationis naturalium chylus, humores, qui elixari aut aſſari dicuntur prout humidior aut ſiccior fuerit calor natiuus: Artefactarum alimenta in olla aut veru cocta, ex his coctionibus nulla ortum præcedit, aut comitatur: Vt enim mixtio ortui antecedit; ita omnis coctio hunc ſubſequitur. Nimirum genita ortus initio imperfecta ſunt & cruda, paulatim coctione perficiuntur. perfectio quam acquirunt cocta non eſt mixtio, ſed modus vnionis quo partes humidæ & ſiccæ in ipſo ortu συνδυάσιχη & gregales factæ præſtantiùs religantur; donec putredine, naturali mixtorum omnium interitu, concors hęc diſcordia pereat. Eſt enim vnica ratio putredinis elementis ac mixtis communis, quâ omne putreſcens fit ſiccius, tandémque terra & cinis (ne quis obtrudat duas eius eſſe ſpecies; vnam καθ᾽ ὅλϒ, aliam κτ᾽ μέρος) In eam non æquo pede ruunt omnia: ſiquidem congelata, calentia, mota, magna ægriùs putrent, potiſſimùm frigidis temporibus, quid ita? minor eſt vis ambientis qui calorem natiuum ſimúlque humorem educendo parit putredinem.

COCTIO eſt actio vitalis, licet naturæ opus, quam εὔχυμα, εὐςίμαχα, liquida faciliùs ſubeunt. Huius ſiue ſit alimenti ingeſti, ſiue vitioſi humoris vna eadémque eſt facultas concoctrix: vnum idémque huius inſtrumentum calor rei quæ coquitur adiutus calore continentis: Eadem eſt materia, remota quidem, humidum & ſiccum aquæ & terræ propria, in quibus cuncta animantia vitam traducunt; proxima quod aliquid poſſidet aptum in viuentis ſubſtantiam tranſmutari: Finis proximus ſiue internus, qui in rebus Phyſicis cum forma idem eſt, perfectior humidi & ſicci terminatio; remotus & externus aſſimilatio; omnis enim coctio nutritionis cauſa perficitur. Hinc in ſanis & ægris nil coquitur, quod aliquid ſubſtantiæ noſtræ familiare non habeat: non ſyncerus humor vt bilis flaua, atra, melancholia, ſalſa pituita, ſerum, quæ omnia coctione peractâ prudens natura ſecreuit, eadem ſi copia moleſta ſint, poſtmodùm expulſura; ideò enim cuilibet illorum proprium dicauit receptaculum, ſoli pituitæ denegauit, quia coctionis capax eſt. Hinc vrinæ, ſedimentum in ægris aliud quàm in ſanis, ipſúmque pus, fiunt ſolùm ex ſanguine vitioſo, nullúſque tumor præter φλεγμονώδη coqui poteſt, non magis aqua intercutem, quàm flatus in tympanite, non herpes, non eryſipelas exquiſitum, non ſchirrus.

CRVDITAS contraria eſt coctioni non putredo, ex putrido enim non fit coctum, ſed ex crudo omníſque humor putridus vacuandus. Quare vt coctio ita cruditas in ſanis & ægris eſt alimenti ſiue ingeſti, ſiue vitioſi ſucci. Nec alia datur quæ poſſit purgationem remorari, cùm illud veriſſimum ſit πέπονα φαρμακέυειν. Itaque licet cauſa morbi coniuncta ſit humor ſyncerus qui coqui nequit, coctio tamen expectanda: Etenim natura ab irruente morbo laceſſita malè coxit; inde cruditas morbi decurſu oborta, venoſum genus inficiens, quam ſi natura morborum medicatrix caloris natiui robore ſuperârit, vtique trahenti pharmaco opitulabitur. Intereà ſi ſyncerus humor morbificus tenuis fuerit, vix alijs opus, habet illicò catharſi educendus; ſi craſſus aut viſcidus extenuatione & inciſione indiget: quibus præparationum modis vt expultrix iuuatur non concoctrix; itâ qui has rationes coctiones vocant non ſolùm facultates naturales confundunt, ſed etiam varijs erroribus artem diuinam commaculant.

DICAM ampliùs & alimenti & humoris vitioſi coctio ijſdem iuuantur præſidijs, cibis εὐχύμοις, quiete, ſomno, balneo, aquæ dulcis temperatè calido, an etiam frigido? frictione maximè pedum, fomentis calidis, ſyrupis (non ſolum ab Arabibus, ſed à veteribus Græcis ipſóque Galeno, munere diuino mortalibus conceſſo, licèt alio nomine vſurpatis) non vulgaribus attenuando & incraſſando dicatis, ſed ex his paratis quæ calori natiuo robur addunt, qualia ſunt mentha, piper, cortex citri, coriandrum, nardus, crocus, cynamomum cum ſucco citoniorum alijſque odoratis. Quid plura? & cibi & humoris morbifici coctio ijſdem indicantur vrinâ & alui excrementis, quæ licet non coquantur niſi κτ᾽ τὸ γενικώτερον σημαινόμενον τῆς πέψεως, coctionis tamen indicia ſunt; quia dum humores alibiles coquebantur, antequam ſecreta ſint, intùs partæ victoriæ characterem & ſigillum quadantenùs euicta retulerunt.

Ergo cibos & humores morbificos coquendi ratio eadem. 179

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS LANGLOYS, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XXIX.